SCHILTERI

ORATIO

DE OBITII


REG. ANNÆ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

35,-169-4°
(LN bis 272)
DA BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Oratio
DE OBITV LVCTVOSO SERENISSIMAE DOMINÆ, DOMINÆ ANNÆ,

natæ reginæ Daniæ, Illuſtriſſimi Principis AVGVSTI, Ducis Saxoniæ Electoris &c. coniugis pietate, virtutum ornamentis & meritis præſtantiſſimæ, perpetuaq́; memoria & prædicatione digniſſimæ.

HABITA PIETATIS ET GRATITVDINIS ERGO, IN CONuentu frequenti inclitæ Academiæ Lipſenſis, celebrato in æde Paulina,

A

Zacharia Schiltero, S. Theologiæ Doctore, Profeſſore, & eiuſdem Academiæ Procancellario.

VNA CVM PVBLICE TVM PROPOSITIS verſibus Epicedijs M. Iohannis Albini, poëtices ibidem Profeſſoris.

Die menſis Octobr. VII: Anno à Chriſto nato M. D. LXXXV.

Lipſiæ,

IMPRIMEBAT IOHANNES STEINMAN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

ORATIO.

EVocata à Deo ex his terris eſt in vitam immortalem & cœleſtem, calendis huius menſis infelicibus, circiter horam veſpertinam VIII. ſereniſſima generoſiſſimaq́ue Heroina, ac illuſtriſſima Domina, Domina ANNA, nata regina Daniæ, Illuſtriſſimi ac potentiſſimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis Saxoniæ, Septemuiri creandis Imperatorib. &c. & Burggrafij Magdeburgenſis, Domini noſtri clementiſſimi Coniunx pientiſſima, virtutum ornamentis præſtantiſſima, marito chariſſima, dulciſſimaq́ue, Domina noſtra, dum in viuis fuit, clementiſſima.

Hîc quot quantæq́ue gemendi, dolendi, lugendi, ac lacrymandi, & quidem non vulgariter, non frigidè, non præficarum more, ſed omnino ardenter, acerbè & grauiter, cauſæ nobis offerantur, ſiue mœſtiſſimum viduum, Illuſtriſſimum Electorem, ſiue nos ipſos reſpiciamus, nemo cordatorum hominum non intelligit.

Amiſimus enim non modò Heroinam omnium honeſtarum matronarum illuſtre exemplum, omnium generoſiſſimarum, vereq; illuſtrium, imò ſereniſſimarum feminarum coronam, nunquam ſatis laudatam, deniq; omnium, non modò heroica principe, ſed etiam regina digniſſimarum virtutum terſum politumq; ſpeculum, imò normam & regulam, qua de Illud Menandri veriſſimè vſurpari poteſt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Ταμεῖον ἀρετῆς γενναία γυνή:

Sed etiam veræ religionis cuſtodem, Eccleſiæ matrem, ſtudiorum altricem, viduarum & pupillorum tutricem, pauperum & infirmorum opitulatricem, patriæ fulcrum, denique alteram harum regionum columnam, non nobis tantum, ſed omni poſteritati cum voce grata, tum ſtylo & literarum monumentis celebrandam, imò æternitate & immortalitate nominis & memoriæ digniſſimam.

O infeſtum diem, quo te, Diua ANNA, amiſimus, ô luctuoſam horam, qua nuncium tuæ mortis acerbiſſimum accepimus, ô ingentes miſerias noſtras. Quis dabit capitibus noſtris aquam, & oculis noſtris fontem lacrimarum, vt communem patriæ cladem & Eccleſiæ perniciem deploremus?

Quod ſi de Chironio ac lethali vulnere, pientiſſimo, ac maximè φιλοστόργῳ cordi illuſtriſſimi principis Electoris vidui, Domini noſtri clementiſſimi, inflicto, quem certiſſimum eſt, dimidium cordis & animæ ſuæ non tam amiſiſſe, quâm in cœlum præmiſiſſe, animum ſubit cogitatio, Bone Deus, quanta hîc nobis occurrit Chriſtianæ, & quidem σπλάγχνα, quæ intima viſcera commoueat, contrahat & exiccet, συμπαθείας neceſſitudo?

Si enim in tali caſu membrum membri vicem ſeriò & vehementer dolet, ſecundum Apoſtolum, quomodo non ſenſu doloris Capiti noſtro, patri patriæ, Principi generoſiſſimo, ac domino noſtro clementiſsimo, ob dimidij animæ ſuæ defectum inflicti afficeremur, & quidem grauiſſimè, & ſingulariter? Quò enim horum principum, mariti & vxoris, coniunctio fuit arctior, qua ſecundum copulatio-

nem

nem cum Deo nulla aſtrictior, nulla ſanctior, quò amor ardentior, quo ſocietas religioſæ inuocationis & vitæ ſanctior, & iucundior, quò conſuetudo diuturnior, & quò voluptas, à ſubditis ex hac dulciſsima & diuturna coniunctione percepta, maior, eô fieri non poteſt, quin obitus D. Annæ non modò illuſtriſſimo Viduo, ſed nobis etiam tanquam membris, capiti condolentibus, ſit luctuoſior & acerbior?

O quantò tam illuſtriſsimo Electori, quam nobis, mortis tuæ, ô decus viraginum, ſocios non eſſe, quam ſuperſtites manere tolerabilius fuiſſet?

Quid? quod illuſtriſſimo Electori condolet, totiq; inclitæ familiæ illius, & nobiſcum luget, ac deflet obitum sereniſsimæ Heroinæ ampliſsimus Senatus, tota ciuitas, tota exterorum populorum ad mercatum huc profectorum multitudo. Quid? quod videor mihi audire perſonantes gemitibus, lamentationibus, querimonijs, clamoribus cœlo euntibus, ob intempeſtiuum & infelicem obitum, omnes harum regionum œconomias, omnes omnium nobilium familias, vicinas academias, omniũ Baronum & Comitum, protectione Electoris gaudentium, omnium illuſtrium Principum Imperij, imo illuſtriſsimi Electoris Brandeburgici, noſtri vero inprimis Electoris, & filij Chriſtiani &c. Illuſtriſsimas & illuſtres aulas, totam Germaniam, imò vniuerſum Sacrum Imperium Romanum. Hoc in communi, tantoq; omnium ordinum luctu, ſqualore, planctu, eiulatu, ploratu, qui non ipſe quoq; imo, conſternato, exulceratoque de pectore ſuo, ἐπιβάλλον μέρος gemituum, lamentationum, querelarum & lacrimarum confert, hic ἀπαθὴς,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

ἀνάλγητος, ἀναίσθητος & quouis ferro, imô Caucaſi rupibus durior ſit, neceſſe eſt.

Nec ſaltem ipſius euenti acerbitate, ſed multò magis fontis & cauſæ huius maximæ cladis conſideratione, moueri nos par eſt, quæ eſt peccatorum noſtrorum, Libycas arenas numero ſuperantium, cumulata moles, ingratitudinis atrocitas, hisque irritata & accenſa ira Dei iuſtiſſima, grauiſſimaq́; , quæ tam ſolidum fulcrum, & firmam columnam oppreſſit, euertit, proſtrauit.

Vt autem omnibus ætatibus non minus ſaniores Ethnici, quàm ſancti homines, ſanctarum & regiarum matronarum funera, non modò lacrymis, ſed etiam orationibus panegyricis proſecuti ſunt: ita par eſt, vt quam, dum in humanis eſſet, ſubiectiſſimæ reuerentiæ cultu proſecuti ſumus, eius non modò obitum deploremus amarulenter, ſed etiam virtutes prædicemus ſtudioſè.

Nam & pietas ipſa multò magis, quàm virtus ciuilis hanc quaſi mercedem ſibi poſtulat, approbationem ſcilicet, & teſtificationem Eccleſiæ conſentientem, rerum, autore Spiritu ſancto, ex vſu Eccleſiæ, & patriæ laudabiliter geſtarum, teſte Syracide, inprimis verò magnitudo meritorum heroinæ noſtræ, hanc ipſam gratæ mentis memoriam & celebrationem iure ſuo, præmij loco à nobis exigit & requirit.

Nec dubium eſt, quin celebratione grata â nobis in memoriam reuocata inſignis pietas, ſumma fides & obœdientia erga maritum, & cætera virtutum à Spiritu ſancto accenſarum illuſtria ornamenta, & honeſtiſſimorum officiorum exempla, vnâ cum hac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

hac publica doloris noſtri declaratione, cum ipſi Illuſtriſſimo Electori viduo mœſtiſsimo, tum generoſiſsimo filio, Dominis noſtris clementiſſimis, nec non filiabus, generis & nurui illuſtriſsimis, orbitatem & deſolationem ſuam deplorantibus, imò toti inclitæ, Sereniſſimæque familiæ, in maximi luctus acerbitate, magno leuamini & ſolatio ſit futura.

Nec fieri poteſt, quin diuinarum, & admirabilium virtutum conſideratione, inflammentur eiuſdem ordinis generoſæ matronæ, vt & ipſæ laudabiliter cœptum vitæ coniugalis curriculum fortius vrgendo, cum laude tranſigere conentur, & velut æmulatione liberali accenſæ, ad ſimilitudinem cum tanta heroina conſequendam vnicè aſpirent & contendant.

Quia etiam præter Spiritus ſancti oracula, longæ experientiæ teſtimonio conſtat, ſolere obitum illuſtrium vtriusque ſexus principum, incidentem in tempora quodam cum fato, difficultatum conflictantia, comitari plerunq; inſignes rerum, & quidem θανατοφόρους μεταβολὰς, & horrendas confuſiones: par quoq; eſt, nos hoc loco & tempore, non parentationis tantum cauſa conuenire, ſed etiam, vt conceptis verbis preces Deo adhibeamus, cuius benignitate & clementia omen malum auertatur, ne obitus admodum inopinatus, immaturus & intempeſtiuus, in hac rerum omnium ad interitum inclinantium perturbatione, iuſto Dei iudicio, difficultates & onera vitæ ſiue publicæ ſiue priuatæ nobis adaugeat.

Quæ cum ita ſe habeant, quod iuſſus ſum facere, Magnifice Domine Rector, vosq; omnium ordinum & dignitatum, rei tam eccleſiaſticæ & literariæ,

quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

quàm publicæ præſtantiſſimi viri, vosq́; nobiliſsimi ornatiſſimiq́; iuuenes, vt ſcilicet illuſtriſſimæ Principi orationem habendo, in hoc celeberrimo conuentu, de laudibus illius, iuſta perſoluerem, etſi quam illud graue & arduum ſit, & vires meas longiſsimè excedat, non ignoro, quem Deus non πανηγυριστὴν, ſed vix ἐξηγητὴν fecit, præſertim in tanta temporis anguſtia, & communi luctu, eoq́; omnium acerbiſsimo, qui ingenium, mentem, & vires omnes debilitat, eneruat, languefacit, proſternit, linguam retardat, & μογιλάλον reddit, & tantum non ſpiritum prorſus intercludit: palàm tamen fateor, officium mihi impoſitum eiuſmodi eſſe, quod etiam abſque mandati neceſſitate, vltrò & ſpontè, ſi licuiſſet, præſtiturus fuiſſem, quodque ab vnoquoque noſtrûm ſumma voluntate præſtandum ſit, idque ſtudio declarandæ debitæ gratitudinis, qua cum par eſt reuerentia & ſubiectione humilima, non modò erga ipſam diuam Annam, & illuſtriſſimam familiam, cui de hoc ſereniſſimo decore & ornamento, ad omnem poſteritatem celebri futuro, gratulatio, & pro ingenti beneficiorum in patriam, Eccleſiam, ſcholam, & vnumquenque noſtrum cumulo, debetur hæc gratæ mentis teſtificatio ſubiectiſsima, ſed etiam gratiarum Deo agendarum ſtudio, pro vitæ curriculo Sereniſsimæ principis, cum virtutum ſplendore illuſtrato, tum benedictione diuina multiplici ornato, cumulato, beato, denique pro eodem bonitate diuina religioſo fine clauſo, & clementiſſima Domina noſtra ex hac miſeriarum valle ad optatum portum æternæ beatitudinis feliciter tranſlata.

Quo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Quo de cogitantem, confirmat animum ſpes indubitata, fore, vt me non inuiti orantem audiatis, quod vt facilius impetretur, qua par eſt reuerentia & ſtudio ab vniuerſis & ſingulis etiam atque etiam peto atq; contendo.

Cum autem tanta ſit in vita Sereniſſimæ heroinæ noſtræ rerum laudabilium propoſita vbertas & copia, vt vnde ordiar, & vbi deſinam, neſciam, copia, quod dicitur, inopem me reddente, veniam mihi dabitis, ornatiſſima concio, ſi ſumma ſaltem faſtigia præcipuarum virtutum, meritorumq; illius, velut ἐν παρόδῳ, Laconica breuitate orationis perſecutus fuero, integram, plenam, & rerum magnitudini ac præſtantiæ magis reſpondentem σύστασιν, ſuo tempore, non tam à me, quam ab alijs, quos Deus maiore dicendi facultate inſtruxit, expectaturi.

Sequar autem, Chriſto duce & adiutore, in hac ipſa ſcholaſtica, non panegyrica commemoratione ornamentorum, in vita heroinæ noſtræ eminentium, ductum præceptorum, non Rhetoricorum tantum, ſed etiam Apoſtolorum Petri & Pauli, certò perſuaſum habens, ſat commendatam illam fore, ſi præter naturæ dotes, quas Rhetores conſiderant, à Spiritu ſancto ijs virtutibus ornatam fuiſſe oſtendero, ex quibus illi ipſi Apoſtoli, tanquam ex floſculis fragrantiſſimis coronam, pias matronas, cœleſtis diadematis inſtar, pulcerrimè condecorantem, & Deum ipſum, ſuauiſſimi odoris fragrantia oblectantem, contexunt. Ordiar autem orationem, more vſitato, à naturæ dotibus.

Partitio orationis in dona naturæ & Spiritus ſancti.

1. Pet. 3. 1. Cor. 11, 14. Epheſ. 5. Coloſſ. 3. 1. Tim. 2. Tit. 2.

Genus.

Prodijt in lucem princeps ac Domina noſtra, Anna, regina Sereniſsima, anno reparatæ ſalutis ſu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

pra milleſimum, quingenteſimum, trigeſimo quarto, nata parente Sereniſſimo rege Daniæ & Noruegiæ, Chriſtiano tertio, filio illuſtriſſimi principis Friderici, Ducis Holſatiæ, qui patrem habuit Chriſtianum primum, ex veteri ac inclito genere Comitum Oldenburgenſium, & Principum Saxoniæ oriundum, matre verò Dorothea, nata ex celeberrimo inclitorum Saxoniæ principum ſtemmate, filia ſcilicet illuſtriſsimi principis MAGNI, Ducis Saxoniæ inferioris.

Hîc verò, Deum immortalem, quam amplus nobis aperitur campus præconiorum, & laudum piè defunctæ Sereniſſimæ heroinæ noſtræ, cum in totius generis, & familiæ Sereniſsimæ ſplendore, tum in parentum virtutibus, rebus præclarè geſtis & meritis de Eccleſia propoſitorum, ſi delibando ſaltem quædam recenſere vellem? Veriſsimum enim eſt, quod Iolaus, liberorum Herculis tutor inquit, apud Eurip. οὐκ ἔστι τοῦδε παισὶ κάλλιον γέρας,

ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κ' ἀγαθοῦ πεφυκέναι.

Sed attingamus, velut ἐκ παραδρομῆς, à parente ſaltē, Chriſtiano tertio, in Eccleſiam collata beneficia ingentia.

Magnam ſanè laudem merentur multi retrò reges Daniæ & Noruegiæ, quorum alij primum, ad ſe ingredienti Domino gloriæ, Chriſto Ieſu, portas aperuerunt, recipiendo doctrinam Euangelij, & ſacro lauacro regenerationis ſeſe aſſociando fidelium conſortio, malè valere iuſſa profanitate & idolatria Ethnica, & magnis ſumtibus erectis templis, & monaſterijs, quæ eſſent piæ iuuentutis παιδαγώγια & honeſtæ diſciplinæ officinæ, alij pomeria Chriſti extende-

tende-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

tenderunt, & fines regni illius protulerunt longius ac latius, ſubinde ſparſo & propagato Euangelio in vaſtis regionibus Aquilonis, ſublatis idolis, & ſubinde pluribus Chriſto lucrifactis, & ad agnitionem ac fidem Chriſti, & æternæ ſalutis ſocietatem conuerſis: alij conſtitutas Eccleſias ampliſsimis priuilegijs doârunt, & bonis locupletârunt, ſumtibus ædificio templorum ſarto tectoq; præſtando neceſſarijs attributis, perinde atq; epiſcopos ipſos tam honoribus, quàm reditibus auctiores reddiderunt. Quæ omnia magna & eximia pietatis teſtimonia eſſe nemo inficiatur, cum ſummorum imperatorum, & regum liberalitate, & beneficentia in Eccleſiam conferenda, atq; ideo perpetua memoria, grataq́; prædicatione digniſsima. Sed quid ſunt illa, collata ad inſignia pietatis Chriſtiani tertij monumenta?

Etſi enim prius quoq; tam templa, quàm cœnobia fuerunt ſalutaris de Deo doctrinæ ἐργαστήρια, & exercitiorum veræ pietatis & caſtitatis domicilia, quis tamen eſt in lectione hiſtoriæ Danicæ mediocriter verſatus, quem lateat, progreſſu temporis, amiſſa paulatim fraude & inſidijs diaboli doctrinæ puritate, & refrigeſcente pietatis zelo, creſcentibus autem libidinibus, & longè lateque inualeſcente pontificum audacia & tyrannide, bonitate & clementia regum illorum Daniæ ad contemtum, ignominiam, & oppreſſionem regiæ dignitatis, per ſummam inſolentiam nefariè abutentium, illas ipſas pietati, diſciplinæ, & Muſis conſecratas ſedes, paſſim in ſpeluncas latronum, luſtra Veneris, & margitarum latibula conuerſas, & religionem in tetram ſuperſtitionem horribiliter transformatam eſſe?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Certum eſt etiam, quanquam parens Chriſtiani, laudatiſsimæ memoriæ, Fridericus primus, inueteratam idolomaniam pontificiam acriter oppugnauerit: tamen fruſtra eum cacoëthi inſanabili medicas manus adhibuiſſe. At quanto hoc malum felicius curauit Chriſtianus tertius, heroinæ noſtræ parens, de religione & Eccleſia hoc nomine præclariſſimè meritus? qui regno ſolenni ritu conſecratus, & coronatus à felicis memoriæ eximio optimeq; merito Theologo, Doct. Iohan. Bugenhagio Pomerano, (quod incidit in annum Chriſti milleſimum, quingenteſimum, trigeſimum ſeptimum) propoſito ſibi inprimis ad imitandum ſanctiſsimi regis Ezechiæ exemplo, quod, aura fauoris diuini pios conatus & labores illius benignè prouehente, feliciter imitatus eſt, concitato deſiderio, doctrinæ cœleſtis, & officinarum illius, templorum & collegiorum monaſticorum repurgationem aggreſſus, vt re non minus, quàm nomine, Chriſtianum ſe præberet, magno zelo paſſim idola Antichriſti Romani euertit, ſuperſtitionem ſuſtulit, doctrinam repurgari, & expurgata ſcoria & fecibus falſarum opinionum, & deterſis ſordibus traditionum humanarum, priſtinæ puritati ac nitori reſtitui, reſtitutam, illuſtratam, & limatam non modò per vniuerſum regnum Danicum diuulgari, ſed etiam ad remotiſſimos maris accolas, imperio ſuo ſubiectos, Gotlandos, Noruegos, Farenſes, Iſlandos, & alios perferri & propagari curauit, tanta felicitate ſucceſſus, vt eam ad rem ſingulari Dei conſilio vocatus videretur.

Eſtque dignum admiratione, viſitatione, iuſſu Chriſtiani tertij, & conſilio reuerendi patris Lutheri, ab

ri, ab

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

ri, ab eodem D. Bugenhagio Pomerano perfecta, circiter viginti quatuor millia Eccleſiarum, ſolius Chriſtiani tertij imperio ſubiectarum, repurgata & reformata eſſe.

Dicerem hîc aliquid, cùm de matre regina Dorothea, omni virtutum genere præſtantiſſima, tum de Friderico II. fratre, rege Daniæ Sereniſſimo, niſi temporis obſtaret breuitas, eaque paulò eſſent ab inſtituto noſtro alieniora, de quibus rectè dicitur à poëta:

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atq; vnica virtus.

Propius igitur ad rem accedamus, & proprias laudes, ac veriora inſignia inclitæ heroidis noſtræ cognoſcamus. Dicam autem de eximijs animi dotibus, de pia educatione, & coniugio egregio, cunctiſque ornamentis, vitæque proſperitatibus maximè abundanti.

Quemadmodum heroina noſtra generoſis parentibus nata fuit, ita ſemina virtutum excellentia à parentibus in ſe propagata, ſecum in lucem protulit, quæ in ipſo vitæ exordio ſtatim ſeſe exeruerunt, miram olim totius vitæ imaginem conſpiciendam præbentia, iuxta veterem verſiculum: Dotes animi.

Αὐτίκα γὰρ φυτὰ δῆλα, ἃ μέλλει κάρπιμ' ἔσεσθαι.

Eluxit autem in ea ſtatim primis annis, præter ætatem, cœleſtium rerum cura ſingularis, & verbi diuini ſtudium ardens, quo inflammata, à lectione ſacrorum librorum, munificis impenſis Sereniſſimi parentis, in Danicam linguam tranſlatorum, nullo puerili ludo, nullo inani ſpectaculo abſtrahi & auocari ſe paſſa eſt, mirandum naturæ pietati conſecratæ præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

bens præſagium, cuius paulò poſt in adoleſcentia & coniugio ſpecimen exhibuit omnibus clariſſimum, & exemplum conſpicuum.

Quæ verò præterea, ætate puerili, vel iuuenili, virtutes animi in illa emicuerint, quibus multis aliorum regum & principum filiabus præfulſit, non eſt neque loci, neque temporis huius oratione perſequi, nec ſunt illæ in has anguſtias redigendæ, quæ orationem deſiderant peculiarem.

Educatio.

Ad hanc naturæ vim ſingularem & eximiam acceſsit pia & liberalis inſtitutio in doctrina religionis, & diligens aſſuefactio inde à teneris vnguiculis, ad amorem pietatis, iuſtitiæ, manſuetudinis, caſtitatis, & id genus virtutes principe dignas, qua cum miranda benedictio diuina, & ſucceſſus feliciſsimus coniunctus fuit. Sed non fert inſtituti noſtri ratio, vt de educatione plura adijciantur.

Coniugium.

Tantæ, tamq; egregiæ animi dotes, cum in virgine inclita ſtatim elucerent, ita vt ſplendor earum longè lateque ad longo interuallo diſsitas terras penetraret, factum eſt, vt oculos Illuſtriſsimi principis Auguſti, Ducis Saxoniæ, &c. Domini noſtri clementiſsimi, præſtringendo, animum illius caſto amore inflammauerit, quæ flamma, affuſo oleo lætitiæ, Spiritu ſancto, in pectore heroico, ſubinde aucta, celeriter in tantum exarſit incendium, vt illuſtriſsimus Princeps eam præ alijs omnibus caſto ſibi fœdere iungi voluerit, adhibitis eam ad rem inprimis religioſis ad DEVM precibus, conſultatione cum ſuis accurata, & coniugio ipſo ad veros fines directo, ſanctificationem ſcilicet ſeu conſerua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

tionem caſti pudoris decoris, & propagationem fa-
miliæ inclitæ, vt Deo ſuo loco cultores relinqueret, ſecundum Platonem.

Fuerunt autem nuptiæ celebratæ Torgæ, anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octauo, illuſtriſsimos Coniuges Deo ad aram, ritu Eccleſiaſtico, conſecrante, Reuerendiſsimo & illuſtriſs. principe Georgio, Princ. Anhaltino & Aſcaniæ, &c. beatæ laudatiſsimæque memoriæ, in magna celeberrimorum Principum, Comitum, Baronum & nobilium frequentia, magno omnium cum bonorum applauſu, pia apprecatione, gratulatione ardente, & omine felici.

Quò autem generoſæ fœminæ pluribus & maioribus virtutum ornamentis præſtant: eò maiori in precio habenda earum πολυτεκνία, quod verìſsimum ſit illud Pindari in Pythijs: Fœcunditas.

φυᾷ τὸ γενναῖον
ἐπιπρέπει ἐκ τῶν
πατέρων, παισὶν λῆμα. Id eſt:

Natura ſua generoſa virtus
Eximia eſt à parentibus,
Liberis quoque addit fiduciam. Vel generoſi parentum animi natura & in filijs excellunt. Quam felicitatem nos, qui Chriſtiani ſumus, merito tantò pluris, quam Ethnici, facimus, quantò notius nobis eſt, non modò fructum vteri omnem, maximè copioſum, & ex pijs parentibus profectum, non naturæ, ſed benedictioni diuinæ acceptum referendum, eundemq; vberiore à Deo benedictione cumulari, idque ex doctrina Spiritus ſancti tradita, Pſal. 112. 127. 128.

Ex ani-

Ex animo igitur gratulandum Illuſtriſſimo Electori, & defunctæ heroinæ, quod coniugium non modò ſuaue, felix & placidum, quo de poſtea dicetur, ſed etiam fœcundum, & multiplici benedictionũ genere ornatum conſecuti fuerint. Suſcepit autem ex ea illuſtriſſimus Elector quindecim generoſiſſima, chariſſimaq́ue auguſtiſsimi thori pignora, nouem ſcilicet maſculos, & ſex fœmellas, de quibus quatuor tantum ſunt ſuperſtites, cæteris omnibus in cœleſtem patriam Dei voluntate præmiſſis.

Εὐτεκνία. Nec tantum vtriq; Principum de numeroſa, ſed etiam generoſa, & virtute ſpecioſa ac illuſtri ſobole, noſtro ſeculo neque regum, neque principum aliorum inclitæ proli virtutum ornamentis & decore auguſto cedente, gratulandum eſt. Sed de εὐτεκνία, ſeu liberorum εὐγενεία infrà, de educatione, quæ Græcis eſt εὐπαιδεία καὶ εὐπαιδευσία, plura dicentur commodius.

Nepotes. Debetur quoque gratulatio vtrique Principum de conſpectu nepotum, quem pij omnes non modò tanquam ſingulare benedictionis diuinæ incrementum magno in precio habent, & grato pectore ac ore celebrant, ſed etiam experiuntur, animos tantò acriore ſenſu voluptatis & dulcedinis ſuauiſſimæ perfundere, maioremq́ue ad moleſtias vel coniugij vel ætatis ingraueſcentis mitigandas vim habere, quantò ipſam εὐστοργίαν in generoſis parentibus erga nepotes, quam erga liberos, ſentiunt eſſe ardentiorem, contra naturam ignis, aſcendentis quam deſcendentis potius, occulta & mirabili naturæ vi, in animis hominum hoc incendium augente, præſertim flamma amoris diuini, quæ eſt Spiritus ſanctus, acceden-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

cedente, idq; fortè ex dulciſsimo immortalitatis, ad quam conditi ſumus, ſenſu, quem eò ardentiorem percipiunt generoſi parentes, quò pluribus gradibus ex ſe natæ illuſtris ſobolis ad immortalitatem, aut longam nominis memoriam, viam ſibi quaſi ſterni vident, quo de à naturæ indagatoribus alibi diſputatur accuratius.

Magna ſunt hæc coniugij illuſtriſſimi encomia. Sed ſunt alia maiora, virtutum ſcilicet lumina clariſſima, quæ nobis defixa oculorum mentis acie ſunt intuenda, præcipuaq; diligentia conſideranda.

Eminet autem in toto illuſtriſſimæ vitæ D. Annæ curriculo, vt gemma inſignis in annulo, religioſa erga Deum pietas, virtutum reliquarum omnium fundamentum, dux & rectrix totius vitæ, denique omnium laudabilium inſtitutorum mater, & felicium ſucceſſuum cauſa. Cum enim non ignoraret heroica fœmina, verum, Deoque max. gratum honeſtarum matronarum ornatum, non in capillorum plicatura, nec in περιθέσει aureorum ornamentorum, nec in amictu palliorum, aut vllo corporis mundo & ornatu externo, plærunq; ad faſtum & inſolentiam animi compoſito, ſed in occulto cordis cultu, & interiore ſeu nouo homine integro & incorrupto, omniſq; labis & inquinamenti experte, vt D. Petri verbis vtar, conſiſtere, quemadmodum ab ineunte ætate, pietatem præcipuo ſtudio coluit: ita in coniugio illuſtriſſimo eâdem nihil prius, nihil antiquius habuit. Quam ad rem cum plurimum momenti habere non neſciret, frequentationem publicarum concionum, aſſiduam lectionem ſacrorum monumentorum, cognitionem catecheſeos, & commen- Pietas.

 tario-

tariorum Reuerendi patris Lutheri, vnâ cum receptis
ſinceris confeſſionibus, dici non poteſt, quantam il-
la, in colendis his ipſis comparandæ ſapientiæ ſpiri-
tuali adminiculis neceſſarijs, maximè in auſcultatio-
ne publicæ vocis miniſterij, aſſiduitatem præſtiterit.

Quoties, quantaque cum cordis compunctio-
ne abſolutionem petierit, quanta cum reuerentia
& deuotione animi ad menſam Domini acceſſerit,
quantopere huius ſacri epuli, τῆς ἁγίας μεταλήψεως
ſacroſancti corporis & ſanguinis CHRISTI effica-
ciam & dulcedinem prædicauerit, quàm etiam ſa-
cri baptiſmi vſu ſeipſam in omnibus aduerſitatibus
confirmauerit, quàm τῆς ἀναδοχῆς ſeu ſtipulationis
in baptiſmo faciendæ officio delectata fuerit, vt
hoc ipſo nihil illi in vita iucundius fuerit; norunt
& teſtantur, qui à ſacris illi concionibus fuerunt.

Ad lectionem priuatam quod attinet, etſi li-
bros ſacros pariter omnes, ſine exceptione, diurna
nocturnaque manu verſando ſæpiſsimè euoluit, ſi-
bique familiariter notos reddidit : præcipuum ta-
men tempus attentæ Pſalmorum lectioni impende-
bat, quorum plerosque, ſi non omnes, memoriæ in-
fixos tenebat, ita vt quouis tempore ſine vlla hæſi-
tatione recitare poſſet, memoria aſſiduo horum vſu,
in quotidianis inuocationis & pœnitentiæ exerci-
tijs ad admirationem vſque confirmata.

Similiter, vt vſus lectionis Bibliorum quouis
tempore ſibi promtus & expeditus eſſet, ingen-
tem cumulum inſignium dictorum ſcripturæ, inſtar
maximi precij theſauri, memoria reconditorum, ſe-
cum circumferebat.

Sciebat etiam ſtudia doctrinæ in gynecæo ſuo
ſibi re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

ſibi regenda vrgendaque eſſe. Ideo ſingulis diebus lectiones, inprimis Pſalmorum recitationes & cantiones aliquas, ad inſtitutionem liberorum, & ſibi commendatarum illuſtrium & nobilium puellarum, quam maximè accommodatas, certis horis, ſine vlla intercapedine, in aula ſua exerceri curabat, ita vt illa ad Eccleſiæ domeſticæ, vel ſcholæ, quam aulæ ſimilitudinem propius accederet, cuius diſciplinæ, pietatis pleniſsimæ, nomine & celebritate exteris etiã nationib. innotuit, & vehementer commendata fuit.

Nec tantum cum Eccleſia, tam publica, quàm priuata, religioſa vota ſua ſemper coniunxit, quæ vis Deo gratiſſima eſt, ſecundum Tertullianum, verumetiam quò ardentior eſſet inuocatio, & mens minus turbaretur, & à colloquio cum Deo auocaretur rei familiaris cura, ſæpiſſimè in intimis aulæ penetralibus, in ſuo orario aliquot horis abdita latuit, nulla re alia, niſi pijs ad Deũ precibus, flexis genibus, fundendis occupata, quibus non aulæ modo, ſed omnium noſtrûm ſalutem complexa eſt, muri inſtar Deo irato oppoſiti, ſecundum Ezechielem, impendentem patriæ ruinam, & Eccleſiæ πανολεθρίαν auertere omni mente, omnique animo annixa.

Hîc quantus in ea precandi ardor, quanta ſuſpiria, quanti gemitus ex imo pectore depromti, quot, quamque ardentes lacrymæ profuſæ, quanta cum Deo, quem niſi benedicentem dimittere noluit, lucta, quanta præualendi contentio, quanti denique, quamque validi ad Deum clamores ſæpè auditi fuerint, teſtes locupletes eſſe poſſunt, qui aliquantiſper in aula verſati, & talium exercitiorum pietatis obſeruatores accurati, nõ ſine admiratione magna fuerunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Taceo de illuſtribus exercitijs ardentis fidei & inuocationis, cum in alijs difficultatibus & rebus aduerſis, magna animi conſtantia ſuſtinendis, vincendiſque, tum omnium acerrimis, acerbiſſimiſque, quibus in partu obnoxia fuit, doloribus & cruciatibus, vnà cum Niobes malis, tot ſcilicet liberorum immaturo obitu, guſtum & προποτισμὸν dolorum mortis, & ſæpe adhuc triſtiorem, acerbioremque præbentibus, de quibus plus verborum me nunc facere, non ſinit ſpacij ad dicendum conceſſi anguſtia.

In agone verò vltimo, quanta, Deum immortalem, lux fidei & conſolationis effulſit in applicatione promiſſionum Euangelij ad ſeipſam, in aſſidua inuocatione, in ardenti cœleſtis conſuetudinis deſiderio, in toleranda morbi ſæuitia, deniq; in tota vita, quæ nihil niſi perpetua fidei exercitatio & continua inuocatio fuit? Sed & de hoc ſatis.

Zelus purioris doctrinæ.

Quid dicam de Zelo purioris doctrinæ? Quid de confeſsionis conſtantia? Quid de ἀσπόνδῳ odio falſorum dogmatum, quid de patrocinij & defenſionis ſincerorum doctorum fide? Quæ quàm pro dignitate tractando abſoluam

Ante diem clauſo componet veſper olympo.

Cum enim non modo veritatem intelligeret, & fundamenta illius noſſet, ſed etiam errores eruditè refutare ſciret, (quam lucem doctrinæ & fidei πληροφορίαν omnibus huius mundi opibus longiſſimè anteferebat,) facere non poterat, quin coram miniſterio & conſiliarijs ſuis, fidei ſuæ de omnibus religionis Chriſtianæ articulis, etiam in controuerſiam vocatis, præſertim à Sacramentarijs, magno ſpiritu confeſſionem ingenuam ſæpiſsimè ederet, cum his ſermones

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

mones prolixos, ſingulari animi cum voluptate, de puriore doctrina conferret, eoſdem, vt in agnita veritate conſtanter perſeuerarent, grauiter ſæpe exhortata, imò Zelum tuendæ puritatis, & odium Sophiſtices acerrimum lacrymis profuſis, quarum αὐτόπται in hoc ipſo cœtu ſunt, nonnunquam teſtata: Blaſphemos verò, ἐμπαίκτας, Epicuri de grege porcos, verbi contemtores & adulteratores, tam clandeſtinos, quàm apertos, præſertim δειπνοσοφιστὰς, non minus, quàm portas inferorum execrata, abominata & deteſtata.

Neque hunc zelum verbis tantum profeſſa, ſed facto ipſo quoq; teſtata eſt. Sparſis enim corruptelarum ſeminibus, & gliſcentibus in doctrina religionis diſsidijs, dici non poteſt, quam graui, heroica, & zeli plena indignatione commota, illuſtriſs. maritum de maturè reprimědo incendio fideliter admonuerit, quam acriter & indefeſſo ſtudio illi inſtiterit, quantam ex compoſitis turbis, exterminatis erroribus, & reſtituto de puriore doctrina conſenſu, & cum hoc coniuncta Eccleſiæ pace & tranquillitate voluptatem & lætitiam, Chriſtiano & regio pectore digniſsimam, perceperit. Qua in parte Pulcheriæ ſororis, & Placidiæ filiæ Imperatoris Theodoſij exemplum, quarum illa fratri Theodoſio, hæc Arcadio, vt puritatem & conſenſum doctrinæ & ipſi tuerentur, & hæc poſtea Martiano Imperatori, vt Synodum Chalcedonenſem cogeret, incitamento fuerunt, feliciter & magna cum laude imitata eſt.

Ex eadem flamma, veræ ſcilicet doctrinæ amore, verus etiam erga miniſterium amor, exquiſitus cultus, reuerentia atq; obſeruantia ſingularis exarſit, Amor miniſterij.

 ita vt

ita vt Deum illius autorem agnoſceret, & propter eũ μυςὰς, officium ſuum mediocriter ſaltem facientes, vel certè προαίρεσιν rectè faciendi habentes diligeret, imò, ſecundum Syraciden, admiraretur, & ſuſpiceret, ijſq; ſumma voluntate in his, quæ ad miniſteriũ pertinent, obœdientiam præſtaret, ſine vlla cõtumacia, nec non eorundem errata & infirmitates, imo etiam atroces lapſus, & ſcandala pallio Eliæ & Conſtantini tegeret & occultaret, nec raro ipſa à Deo ſeriò peteret, vt ipſe eſſet cuſtos & gubernator ſanctiſſimi ordinis ſui per Spiritum ſanctum, ne vlla illi labes aſpergeretur. Denique quo gratitudinem ſuam erga Deum declararet, pro inſtituto ſacroſancto miniſterio, in aduerſis caſibus fidelibus miniſtris fidele patrocinium præſtabat, ijſdemque omni piorum & honeſtorum officiorum genere vitæ difficultates, ne cum gemitu, quod non eſt ex vſu Eccleſiæ, officium facerent, mitigabat. Sæpe etiam ingratitudine mundi offenſos & perturbatos, aut certaminum difficultate defeſſos conſolabatur, ne fracti impatientia à Deo deficerent. Sed videor mihi de Sanctimonia, quæ mater eſt plurimarum primæ tabulæ virtutum admodum fœcunda, vt ſanè minus, quàm pro animi voto, & inclitæ heroinæ præſtantia: tamen pro loci & temporis ratione ſatis dixiſſe. Videamus igitur deinceps ſuauiſſimos floſculos pulcerrimarum virtutum ſecundæ tabulæ, quibus heroina noſtra inſtar amœniſſimi horti condecorata non minus, ſuauiter vernauit.

Inter hos, vt ordine, ita dignitate antecedit ardentiſſima ςοργὴ, ſacer & auguſtus fons veri honoris, reuerentiæ & obœdientiæ erga maritum, & omnis generis honeſtiſſimorum officiorum erga liberos.

Quo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Quò enim illa εὐγενέστερος καὶ εὐσεβέστερος, imò orga-num Spiritus ſancti fuit illuſtrius, eò εὐστοργότερος. Hinc honor in ea extitit, cum vera εὐλαβεία & reuerentia ſumma coniunctus, erga illuſtriſſimum maritum, tanquam erga caput, dominum, imò parentem chariſſimum, maximeque venerandum. Hinc obſequium promtiſſimum, expeditiſſimum, humilimumque, non coactum, non mariti imperio extortum, expers moroſitatis, indignationis & fremitus aduerſus maritum, idque propter Deum huius ordinis autorem. Στοργὴ erga maritum.

Hinc ἐπιείκεια inſignis in toleranda infirmitate mariti, inſtar mutæ columbæ: Hinc lenitas, hinc elegans ſuauitas inclitum maritum, non irritans, non exaſperans, ſed irritatum colloquiorum, & ſermonis ſale pietatis conditi ſuauitate placans, oblectans, ſibiq; & alijs reconcilians, mœſtum ac dolentem dulciſſima conſuetudine, & gratiſſimis officijs recreans & exhilarans, verè ſpiritu miti & tranquillo prædita, ſecundum Petrum, verè molli, & flexili viti, non ſpinæ acutæ, non ſentibus aculeatis ſimilis, ſecundum Pſalmiſtam, imò laborũ, dolorum, & vitæ onerũ omniũ, præſertim ætate ingraueſcente, & omnis generis morbos atq; moleſtias ſecũ trahente, gratũ leuamen, fulcrũ & adiutoriũ valde cõmodũ, maximeq; optatũ.

Hinc fidei coniugalis idea illuſtris, hinc bonorũ & ærumnarum perpetua κοινωνία, ſæpe in comitatu indiuiduo ad exteros, laboris, moleſtiæ & periculi non experte, perſpecta, vſq; adeò, vt ſi opus fuiſſet, ſuæ ipſius vitæ iactura ſalutem mariti redemiſſet. Deniq; hinc coniugium tam blandum, tam iucundum, tam dulce, tam tranquillũ, tam caſtũ, tam felix & proſperũ,

vt ad

vt ad ſimilitudinem ſanctiſsimorum feliciſsimorumq; coniugiorum ſanctorum patrum quam proximê acceſſiſſe videatur.

Educatio liberorum & eiuſdem fructus.

Nec minus ſereniſſima heroina noſtra amorem ſuum erga inclitos liberos, quam erga illuſtriſſimum maritum declarauit, eoſdem in doctrina & diſciplina Domini ſingulari ſtudio, diuina freta benedictione, ſic educando, vt reuera nunc ſint nouellæ oliuarum fragrantiſſimæ, plantæ ſatæ ad ornandam gloriam Dei, & palmites Chriſto inſiti per baptiſmum, & fidem Euangelij, ex eodem, tanquam ex vite vera per Spiritum ſanctum trahentes ſuccum viuificum per miniſterium verbi & Sacramentorum, quo ſubinde augeſcendo, in proceras, denſas, ac latè patentes arbores iuſtitiæ excreſcunt, non modò optimæ fragrantiæ odorem pios omnes delectantem, & ſuauiter reficientem de ſe præbentes, ſed etiam Chriſto & Eccleſiæ fructificantes, ramoſque ſuos ſubinde extendentes longius, cùm caſtiſſima fœdera contrahendo, cum illuſtriſſimarum familiarum principibus, tum liberos cum his procreando generoſiſſimos, Nec tantum Eccleſiæ patrocinium, ſed ſubditis etiam vmbram gratam de ſe præbentes, tandem vbi terram ſuis fructibus repleuerint, in Paradiſum cœleſtem transferendi, ibidem inſtar victricium palmarum, & cedrorum Libani in omnem æternitatemærnitatem floriturі, vt pulcerrimis ſimilitudinibus ducum chori prophetici Dauidis & Eſaiæ vtamur. Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt felicitates & laudes Diuæ heroinæ noſtræ magna acceſſione augeant.

Prodeſt autem nos hoc de genere felicitatis diuinæ, hoc præſertim tempore, luctus cogitationem ſuſcipe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

ſuſcipere accuratiorem, vt hac ipſa ſenſus & acerbitas doloris ex generoſiſſimæ matris obitu concepti, nonnihil nobis mitigetur, cùm certiſſimum ſit, in hac ipſa illam non prorſus extinctam eſſe, ſed magna ex parte adhuc viuere ac florere, victuramque & florituram, quam diu nobis Dei clementiſſimi munere & conceſſu, virtute, felicitateq; relictæ ab ea ſobolis illuſtriſſimæ frui gaudereq; licuerit.

Ne autem vobis & mihi refricem, vtcunque obductum vulnus grauiſſimum, ſuperioribus annis pectoribus noſtris inflictum, obitu immaturo illuſtris, & ad omnia ſumma nati principis, τοῦ ἐν ἁγίοις, Alexandri filij, nolo indolem pietatis, virtutis, ſapientiæ, & cæterarum heroicarum virtutum, quæ à primis annis in eo eluxit, longa oratione proſequi, quæ tantam de ſe ſpem præbuit ſalutaris & illuſtris gubernationis, vt adoleſcenti adhuc adminiſtratio Reuerēdiſſimi, & illuſtris Præſulatus Merſeburgenſis, ad quē ab antiquo inſpectio & curatio ſuprema Academiæ noſtræ, pertinet plena dignitatis & honoris, quæ CANCELLARIATVS titulo celebratur, facta legitima poſtulatione, à reuerendiſſimo Capitulo Eccleſiæ cathedralis Merſeburgenſis, ſumma voluntate, & vnanimi omnium conſenſu, qua cum par eſt animorum reuerentia & ſubiectione, concrederetur, non ſine ſumma gratulatione & expectatione, ac ſpe indubitata ſaluberrimi euentus, & maximi emolumenti, inde in Eccleſiam illam, & addictam illi hanc Academiam inclitam redundaturi, perinde atque toti patriæ de futuro felici eiuſdem in conſpicua, illuſtriſſimaque incliti parentis veſtigia, ingreſſu, gubernationis pacificæ & ſalutaris certa fuit perſuaſio, Alexander filius.

 & omen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

& omen lætiſſimum, ita vt nemo non adhuc exoptet in viuis eum eſſe, licereq; ei ingentia Dei dona ad vſum harum regionum conferre, niſi iuſto Dei iudicio & prouidentia prohiberetur, ſingulari Dei amore, à facie venturæ malitiæ abreptus, quemadmodum docet Salomon, cap.4. Et Eſaias 57.

Chriſtianus filius.

Agnoſcamus autem grato animo, quam patria iacturam fecit, luctuoſam certè, ſucceſſionis ſalutaris, defuncto Alexandro, eam ita compenſare diuina excitatum bonitate, illuſtriſſimum principem, re & nomine Chriſtianum, Dominum noſtrum clementiſſimum, vt ſenſum doloris ingentis & acerbi, ex obitu D. Alexandri concepti, indies non modo magis magiſq; leniat & imminuat, ſed etiam pectoribus tam illuſtriſſimorum parentum, quàm ſubditorum penè prorſus eximat & extinguat, ſpei & expectationi eorum non modo ſatisfaciendo, ſed eandem etiam exuperando, meſſemq; vberrimam ſaluberrimarnm frugum, ſementis in pueritia & adoleſcentia factæ, cum progreſſu temporis demetendarum, pollicendo.

Ἀλλ' αὐτὰ κοσμεῖ τὸν ἄνδρα τὰ πράγματα. καὶ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσι. Qualis enim & quantus hic princeps ſit, res ipſa, quæ in conſpectu & ante oculos eſt omnium, teſtatur, nimirum commiſſum illius Celſitudini ab illuſtriſſimo parente ἐπιβάλλον μέρος gubernationis aulæ, plenum pietatis, ſapientiæ, fidei, moderationis, clementiæ, induſtriæ, dexteritatis, grauitatis, iuſtitiæ, denique tranquillitatis ac felicitatis, felix omen & præſagium futuræ olim ſucceſſionis ſalutaris, Deo inprimis fauoris ſui aura benigne illi aſpirante, nec tantum illuſtriſſimo parenti, ætate

conte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

confecto, & multis infirmitatibus obnoxio, gratum leuamē præbens, incumbentis humeris illius, in hoc corporis languore & virium defectu indies inualeſcente, prorſus intolerabilis, molis gubernationis, curarum, laborum & moleſtiarum pleniſſimæ, ipſi verò Chriſtiano, Domino noſtro clementiſſimo, vtile tyrocinium, & præparationem optatam præſtans ad capeſſenda, & maiore cum fructu ac laude moderanda, ſuo tempore, gubernacula regni paterni, & integræ atq; plenæ adminiſtrationis omnium officiorum gubernationis paternæ, ſed etiam ſpe patriam recreans lætiſſima, futurum nimirum, vt ea felicitate nobis quoq; aliquando frui gaudereq́; liceat, quàm ſoli Conſtantino Magno, acerrimo purioris doctrinæ cœleſtis defenſori, & Eccleſiæ nutritori benigniſſimo à ſeculo contigiſſe teſtatur Euſebius, vt ſcilicet poſt mortem, haud ſecus ac ſi viueret, regnaret, filio nimirum ſucceſſore, receptam patri ſanorum doctrinæ cœleſtis verborum, nec non Eccleſiæ & ciuilis gubernationis formam, maximè ſalutarem & laudabilem, conſtanter retinente, qua conſtantia in gubernatione tam Eccleſiæ, quàm Reipub. nihil vtilius, nihil fructuoſius, perinde atq; mutationibus, temerarijs & intempeſtiuis Eccleſiæ & Rebuſp. nihil eſt exitialius, ſecundùm Xenophontē.

Incidi in mentionem ampliſſimæ laudis & ornamenti, quod defunctæ heroinæ filij Chriſtiani præſtantia conciliat, & conſolationis nobis in ea propoſitæ vberrimæ. Sed non licet mihi pro animi voto illi immorari diutius, multò minus telam incoatam pertexere. Ad alia enim properandum. Redeo igitur ad caritatis officia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Amor ſubditorum & beneficentia erga homines afflictos & calamitoſos.

Quemadmodum autem Apoſtolus nomine dilectionis honeſtis matronis, non amorem mariti, liberorum & familiæ tantum, ſed etiam ciuium & proximi cuiuſq; commendat: ita φιλόστοργος heroina noſtra, quam erga inclitum maritum & liberos præſtitit, eandem etiam dilectionem multis pijs & honeſtis officijs, imò ingentibus beneficijs teſtatam fecit erga ſubditos, inprimis fœminas partu periculoſo laborantes, quas non modo precibus ſuis, ſed etiam conſilio, conſolatione, & opera præparationis commodorum alimentorum adiuuit: Deinde erga ægrotos, quibus ſæpe difficillimis, & periculoſiſſimis cum morbis conflictantibus, & inopia remediorum laborantibus, vel ſua ipſius, ſibiq; peculiariter comparata, & ad certos caſus reſeruata, & quidem exquiſita, exotica, & maximi precij φάρμακα liberali pectore communicauit, vel ad eorum coëmtionem ſumtus ſuppeditauit, vel certè medicamenta εὐπόριστα ſua ipſius manu præparauit, ſine vllo reſpectu conditionis, indignitatis, & ingratitudinis, ita vt neminem vnquam ægrotorum ad ſe confugientem, vel non admitteret, vel deſtitutum conſilio aut ope, quantum in ipſa eſſet, dimitteret, æmula laudatiſſimi exempli Placillæ, vxoris Imperatoris Theodoſij, de qua Theodoretus.

Maximè verò pietatem & charitatem non ſimulatam probauit reuerendo miniſterio, relictas à miniſtris pauperes filias in fidem & clientelam ſuam recipiendo, eaſq; educando, elocando, & honeſtis dotibus ornando, digniſſima propterea honorificentiſſimis elogijs, quibus ob ſimilem beneficentiam ornan-

ornantur Phila, Antipatri filia, à Diodoro Siculo, & Pulcheria, à Sozomeno.

Quid? quod cuiuſcunque ſexus miſeros & calamitoſos homines ad ſe confugientes, maximè viduas & pupillos, ὡς στόργου matris & blandæ nutricis inſtar eſurientes nutriuit, ſitientes potauit, incertis vagantes ſedibus hoſpitio excepit, nudos veſtiuit, ægrotantes inuiſit, triſtes & mœſtos conſolatione ſalutari erexit, dubios conſilio inſtruxit, deſertos vel oppreſſos ab iniuria vindicauit, denique membra Chriſti omnia ſuis opibus pro occaſione liberaliſſime adiuuit, refecit, & recreauit.

O ergo immaturam & exitialem mortem heroinæ noſtræ, inprimis vobis viduis, pupillis, paſtorum liberis, puerperis, egentibus, & ſimili cum aduerſo caſu conflictantibus, ô acerbiſſimo luctu, & profuſis lacrymis vobis proſequendam. Sed quo minus hæc quoque pertexamus, temporis anguſto ſpacio excludimur.

Magnum quoque decus addidit ſereniſſimæ heroidi noſtræ perſeuerantia in ſanctificatione, ſecundum Apoſtolum, quæ complectitur non modo amorem caſtitatis conſtantem, & odium libidinum ἄσπον-δον, ſed etiam frugalitatem & modeſtiam, luxui & faſtui muliebri aduerſantem. Non enim ipſa tantum illuſtriſſimum maritum caſtiſſimo amore complexa, & hoc caſti pudoris decus ad vitæ finem vſque magna cum laude tutata eſt, quemadmodum ſuprà oſtendimus, ſed etiam hoc decus & ornamentum muliebris ſexus præcipuum in alijs omnibus, maximè in ſuis ſingulari amore proſecuta, imò admirata eſt, & clementiſſima fauoris ſui aura, fouit, prouexit Caſtitas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

& ornauit, maximè in illuſtri familia & nobiliſſimo gynecæo, in quibus inprimis peruigil pudicitiæ cuſtos fuit, nec petulantiam in moribus, nec obſcœnitatem in ſermonibus, nec laſciuiam in geſtibus, nec impudicitiæ ſignificationem vllam, etiam nutu permittendo, ita vt filiæ cum nobilibus puellis, non in gynecæo bene conſtituto tantum, ſed etiam in celebri pudicitiæ, grauitatis & ſanctitatis ſchola, & caſti pudoris officina, quàm ſancti patres σεμνεῖον vocarunt, verſarentur.

Atque hinc factum eſt, vt quanquam pro aliorum delictorum reis, præſertim non adeo atrocium, & quidem propter probabilem rationem, verecundè interdum intercederet, ἐπιείκειαν adhiberi petens, citra vllam curioſitatem: amore tamen caſtitatis, & libidinum odio inflammata, pro pollutis adulterio, ſcortatione & ſimili libidinum fœditate, non modo interceſſionem nullã interpoſuerit, ſed etiam eorum pœnas acriter vrſerit, eaſque, creſcentibus libidinibus, exaſperari, pro pollutionis atrocitate, petierit, nec prius, quàm iuſta de pollutis fœda libidine vindicta ſumeretur, quieuerit.

Hinc natum ſingulare, & magna à Deo felicitate ornatum ſtudium conciliandarum honeſtarum nuptiarum, non modo in illuſtribus, generoſis, & nobilibus, ſed ſæpe etiam in obſcuris familijs, de quibus hoc ipſo officio præclariſſime merita eſt, & apud quas perpetuam grati animi memoriam ſibi comparauit.

Sedulitas. Cùm autem præcipuas cuſtodes, & dulces nutriculas, cùm multarũ aliarum virtutum, tum caſtitatis ſciret eſſe ſedulitatẽ, temperantiam, & frugalitatem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

tatē, non torpebat ignauo aut inerti ocio, nō dedita erat aleæ, non fabulis audiendis, non ludis ſceniſcis, non ocioſis ſpectaculis, non alijs rebus ludicris occupata, ſed maximam vitæ partem honeſtis laboribus, & tractandis rebus honeſtis & vtilibus, ac ſuæ perſonæ congruentibus tranſegit & conſumſit, per ocium & quietem ne horulam quidem ſibi temerè elabi paſſa, hoc modo piæ matrisfamilias inſtar, vtroq; munere, tam Mariæ, quàm Marthæ, ſororum Lazari, pariter laudatiſſimè perfuncta.

Quid dicam de grauiſsimo & multiplici labore, in apparandis varijs, toto ferè anni tempore, remedijs ſaluberrimis exantlato, quo non ipſa tantū occupata fuit, ſed & virgines exercuit, ita vt illis rerum naturas, & remediorum vſum monſtraret, eaſq; ad laboris amorem, & ſocietatem artis ſuauitate, velut illecebris alliceret? Quid de cultiſsimis ac inſtructiſsimis eiuſdem cura, impenſis, & laboribus hortis, amœnitatis, & ſalubrium herbarum pleniſſimis, in quibus colendis nobiles puellæ ſimiliter ab ea exercebantur, eo fine, vt herbarum naturā, & in medicando vim addiſcerent, & hac cognitione excitarentur ad gratiarum actionem erga Deum conditorem, pro pulcerrimo naturæ rerum opificio.

Cum hac ſedulitate coniunxit ſtudium frugalitatis & temperantiæ, non modo ipſa cibo potuque modico contenta & luxui inimica, ſed etiam familiæ & miniſtris ad colendam temperantiam autor, ſublato luxu aulico, cunctiſque ſumtibus immodicis, & non neceſſarijs ac inanibus profuſionibus prohibitis, ita tamē, vt reipſa, maximè aduentantiū hoſpitum dignitate & maieſtate liberaliorē, vberioremq; Frugalitas.

tracta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

tractationem & apparatum preciosiorem aut ſplendidiorem requirente, nullis parceret ſumtibus, ad dignitatem tamen magis, quàm ad luxum accommodatis.

Modeſtia in veſtitu.

Porrò, quia faſtu non minus, quàm luxu animi incontinentis libido proditur, teſte Syracide, ideò Heroina noſtra non modo mediocritatem in victu, ſed etiam in veſtitu cultuq; corporis amabat. Etſi enim tam propter regij generis ſtirpem, quàm propter regias animi dotes, regio veſtitu digniſſima eſſet, & potentiſſimi ac opulentiſſimi principis Electoris coniunx, maximi precij ornamentis abundans: ad diuæ tamen Eliſabethæ, quæ ancillæ, quàm dominæ potius habitu indui geſtijt, imitationem qualemcunque, veſte trita & habitu fœminæ priuatæ potius, quàm regia purpura gauiſa eſt, ſine vlla dignitatis ſuæ imminutione: Ambitioſum verò veſtitum, ſecundùm præceptum Apoſtoli, tanto odio proſecuta, vt vel diei feſtiuitate, vel actionis alicuius celebritate ornatum, paulò ſplendidiorem requirente, eundem ægrè & vix à miniſtris ſibi indui permitteret, permittens verò inſtar Eſtheris, coronam geſtantis, mariti potius, quàm ſuo honori conſuleret, multò minus in ſuo gynæceo & miniſtris nimium ſtudium ornatus caduci, & cultus externi, maximè ad faſtum & oſtentationem compoſiti, tolêraret.

Adeò ſcilicet certò perſuaſum ſibi habebat, proprium maximeq; auguſtum decus honeſtarum matronarum eſſe, de ſimplicitate promere candorem, de pudicitia præ ſe ferre pudorem, pingere oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerere

in aurem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

[illegible] aurem ſermonem Dei, annectere ceruicibus iugum Chriſti, caput maritis ſubijcere, manus habere lanis occupatas, pedes domi fixos, corpus veſtitum ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ, & taliter pigmentatas ſatis eſſe ornatas, & amatorem habere Deum, quemadmodum cultum fœminarum elegantiſſimè deſcripſit D. Tertullianus.

Quarum de virtutum omnium excellentia dum cogito, etſi non ignoro, nos in his fecibus mundi vix coniectura aſſequi, multò minus imitatione exprimere poſſe, ſanctorum in veteri teſtamento pietatem ardentem, & virtutum omnium abſolutam, quanta in hominem cadit, ideam, nec ſereniſſimam principem noſtram, quæ ſuas ipſa infirmitates agnouit, ſerioq; deplorauit, dum in humanis fuit, in Diuarum numerum refero: de collatione tamen ſeu ſimilitudine qualicunq; ſolicito, venit mihi in mentem, lectiſſimæ, religioſiſſimæq; fœminæ Iudithæ, quam ſacra hiſtoria teſtatur, & viuam, quod Deum verè timeret, veritatem cœleſtem conſtanter confiteretur, vnde Iudithæ nomen (quod confeſſam deſignat) ſortita eſt, præterea quod caſti pudoris decore illuſtris & conſpicua eſſet, & vitam ἄμεμπτον καὶ ἀνέγκλητον, degeret, ab omnibus celebratam, & obitum illius magno dolore & luctu publico totos dies ſeptem deploratum eſſe.

Verè enim Iuditha fuit illuſtriſſima Herois noſtra, puram & incorruptam doctrinam veritatis cœleſtis, ad vitæ vſque exitum conſtanter confeſſa & fideliter tutata, ciboſq; immundos ac vetitos, propoſitos in cœna Perſica, id eſt, corruptelas & falſa

 dogmata,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

dogmata,vt rationi blandirentur, & imperitos facilius inefcarent, humanæ ſapientiæ lepôre & ſuauitate velut condita,& ſpecie veritatis mirificè fucata, aſpernata & auerſata, idq́ue ſolius veri Dei timore mota & impulſa, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Verè Iuditham imitata eſt caſtitatis,ſobrietatis,temperantiæ,& frugalitatis ſtudio, vnà cum toto gynæceo ſuo,idq́; quò rectius verbo Dei audiendo, recitandis religioſis precibus, & alijs pietatis exercitijs ritè colendis,tractandiſq́; vacare poſſet,vt modò dictum eſt.

Verè etiam ANNAE nomen & omen, in quo gratiæ ſignificatio ineſt,habuit,gratiam Dei ſingularé conſecuta, ſiue virtutum dona, ſiue omnis generis bona, ex fonte gratuitæ bonitatis diuinæ profecta, ſpectentur.

Video vos, Magnifice Domine Rector, auditores omnium ordinum & dignitatum ſpectatiſſimi, ornatiſſimiq́;,video inquã, vos excitatos admiratione pulcritudinis, & guſtu dulcedinis aliquot inſignium ornamentorũ ſereniſſimæ Heroinæ, cæterorum quoq; vitæ illuſtriſſimæ decorum prædicationẽ deſiderare & expectare. Sed dies me deficiat, ſi ſingula, & quidẽ maximè ἀξιομνημόνευτα ſaltem commemorando perſequi velim. Nec abutendum mihi eſt patientia & æquanimitate veſtra, quàm agnoſco erga me,etiam quàm par eſt prolixiorem,eſſe ſingularem. Contrahenda igitur ſunt vela orationis, & ad obitũ ſereniſſimæ Dominæ tranſeundum.

Hoc ſtadium dum generoſiſſima, & nunquã ſatis laudata Domina noſtra aſſiduis exercitijs fidei,inuocationis & caritatis,ita vt dictũ eſt, decurreret, ecce,

quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

quæ hactenus ſenſus, membra, & vires corporis omnes, Dei benignitate, & temperantiæ adminiculo, integras, minimeq; labefactatas & afflictas conſeruauerat, ad annum ætatis vſq; L I, Coniugij Auguſtiſſimi, (duabus ſaltem ſeptimanis exceptis,) XXXVII, eadem ſubitò, & præter opinioné, primum debilitato ventriculo, corripitur λυεντερία, ſeu ſolutione ventris, poſtea inteſtinorum exulceratione, quam & anteceſſit & ſecutus eſt, vomitus creber, cibi nauſea, & medicamentorum faſtidium, quæ mala, vt fieri ſolet, ἀτροφία, & totius corporis maraſmus è veſtigio eſt comitatus. Morbus.

Tot tantiſq; infirmitatibus velut nuncijs προδρόμοις, de inſtante ſibi ſumma die, & hora ineuitabili, non tam naturæ lege, quàm certo Dei conſilio ſibi conſtituta, admonita, nec leuiter exercita, excruciata, fracta, debilitataq; ante omnia reliquias peccati carni inhærétes, & accenſam aduerſus has iuſtā iram Dei, indeq; ortam vitæ fugacitatem agnouit, ſerioq; deplorauit, atq; ideo animum ad obædientiam erga Deum, qua par eſt reuerentia, flexit, ſine vlla indignatione & fremitu, ita vt dolorum & cruciatuum acerbitas, ne voculam quidem vllam, vel perſonæ dignitate, vel profeſſionis ſanctitate indignam illi vnquam exprimeret, ſemper illud Micheæ in ore habenti: Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Et vocem Iudithæ: Minora ſunt flagella peccatis noſtris. Item Dauidis: Benedictus Dominus Deus noſter, quotidie imponit nobis onus, & tamen eſt ſalus noſtra. Præparatio ad obitum plena pietatis.

Deinde quibus par eſt pietatis exercitijs, ad beatum ex hac peregrinatione egreſſum ſeſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

præparauit, ita vt non tantum fidelem miniſtrorum verbi exhortationem, ad præſtandam in retinenda fide, & vincenda morbi ſæuitia conſtantiam, ſumma cum attentione audiret, & propoſitas ſibi conſolationes dulciſsimas imo pectori infigeret, ſeq; ſumma voluntate ἀναλῦσαι, perſpicúa voce aliquoties teſtaretur, ſed ipſa quoque vltrò, nemine monente, fideli recordatione & applicatione ad ſeſe illuſtrium promiſſionum Euangelij, ſe confirmaret, & viatici loco, κοινωνίᾳ, id eſt, participatione corporis & ſanguinis Chriſti vſa, itineri in patriam ſeſe quàm diligentiſſime accingeret, ac tandem ſepoſitis omnibus vitæ curis, terroreq; mortis fortiter ſuperato, & deſiderio ac cupiditate cœleſtium deliciarum, quæ ſunt illuſtris conſpectus ſanctæ Trinitatis, & immediata eiuſdem communicatio, incenſa, magno animi impetu & contentione ad cœleſtes ſedes, relicto huius vitæ ergaſtulo, ſe ferri & rapi ſæpiſſimè oſtenderet.

Et quia ſuſtinendæ ſæuitiæ morbi indies inualeſcenti infirmitatem carnis imparem eſſe ſentiebat, ideo fidei ac conſolationis exercitijs ſubinde miſcebat, imò de cordis receſſu deprompta vota, gemitus & ſuſpiria, pro condonandis ſibi & reprimendis diuinitus impatientiæ flammis, de carne ſubinde aduerſus ſpiritum inſurgentibus, & contra pro augendis ſibi donis fidei, ſpei & patientiæ, Dei munere & conceſſu tributis, & his votis, mixtis conſolationi Euangelicæ, fatebatur mirificam & inenarrabilem in ſe læticiam accendi, victricem pauorum & dolorum omnium, & guſtum præbentem vitæ & beatitudinis ſempiternæ.

Hîc

Hîc inuitus ſilentio prætereo, breuitatis ſtudio, λόγους ἐξιτηρίους, multas ſcilicet ſanctas & graues voces, ex intimis cordis penetralibus ante agonem depromtas, & ſæpiſſimæ iteratas & inculcatas, plenas pietatis & ardentiſſimorum affectuum, reuera κύκνεια ἄσματα, quibus ſubinde ſeſe, illuſtriſs. maritum, liberos, & generos illuſtriſs. denique Eccleſiam vniuerſam, vnà cum noſtra patria Deo commendauit, ijſque non tam vale, quàm bene dixit, nihil tamen magis, quàm vt cum gloria Dei, puritas doctrinæ conſeruaretur, & populus rectè erudiretur, in optatis ſe habere teſtificans.

Ad hæc, quibus illuſtriſſimum maritum, tam fidum tamque neceſſarium adiutorium, tempore tam incommodo ſibi eripi paulò ægrius ferentem, quæ carnis eſt in omnibus etiam ſanctis imbecillitas, ſuauiſsimis conſolationibus ſubinde erexit & confirmauit, ſtudioſè impatientiæ ſtimulos illi eximere conata.

Denique quibus ſuos, culpam & offenſam omnem, ſi qua interueniſſet, datis dextris, cum lacrymis, deprecantes, inter mutuos amplexus, eoſq; ſuauiſſimos, ad ſtudium pietatis, zelum veritatis, cuſtodiam maximi precij depoſiti confeſsionis Auguſtanæ, & libri Chriſtianæ concordiæ, patrocinium Eccleſiæ, tutelam Academiarum & ſcholarum, amorem patriæ, defenſionem diſciplinæ, iuſtitiæ, pacis & tranquillitatis, ad beneficentiam erga pauperes, & clementiam erga afflictos, aliarumq; maximarum virtutum cultum conſtantem, vltimis illis, & verè Cygnæis vocibus ſuinde grauiſſimè exhortata eſt, non ſine obteſtatione & lacrymis ardentibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

His exercitijs per aliquot ſeptimanas præpara-ta, tandem inter ardentes preces, pias collationes, & conſiderationem conſolationum dulciſſimarum aſſiduam, commendato in manus Chriſti ſpiritu, intrepido, imò gaudio exultante animo, placidè conſopita, ex hac mortali & ærumnoſa vita, in cœleſtem patriam feliciter commigrauit.

Obitus.

O ominoſam fluminum menſe ſuperiore eluuionem, redundaturæ in nos, diluuij inſtar, calamitatis grauiſſimæ nunciam. O portentoſum ventorum fremitum. O prodigioſam turbinum tumultuantium vim & ſæuitiam, quæ nuper non modò res terra naſcentes miſerè turbauit & inuoluit, arbores radicitus ex terra euulſit & extirpauit, tecta diſiecit, & diſſipauit, ædificia euertit, ſed nobis etiam harum regionum alteram columnam, & patriæ ad ruinam ac interitum inclinatæ fulcrum, proh dolor, neceſſarium, morte immatura eripiendum, & in cœlos transferendum portendit, atq; animos noſtros hoc ipſo caſu horribiliter perturbauit, & mœrore inenarrabili inuoluit.

O miſeros nos ſubditos, ô infelices ciues, ô ſqualidas & luctuoſas Eccleſias & ſcholas, alieniſſimo tempore tam benignæ, tam præſtantis non dominæ, ſed patronæ, non principis, ſed matris, maxime φιλοστόργου, cura, patrocinio & fide orbatas.

Conſolationes.

Sed quorſum hæc inquies? Nunquid eò ſpectant, vt fracti impatientia acerbiſſimæ mortis ſereniſſimæ matris noſtræ animum deſpondeamus, fide & ſpe omni abiecta? Abſit.

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Quin potius eò pertinent, vt quò fati huius maior eſt acerbitas, eò magis à ſenſu doloris abducamus animos noſtros, cogitatione aſſidua, eaq́; religioſa ſalutarium remediorum Euangelicorum, cùm quibus ipſa mortis terrores feliciter vicit, tum quibus nos quoq́; luctuoſi obitus acerbitatem vtcunq; lenire nobis & poſſumus & debemus.

Etenim ad te Diua Heroina quod attinet, certò ſcimus, nequaquam malè tecum actum eſſe. Tranſijſti enim de æſtu ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad βραβεῖον, de labore ad quietem, de dolore ad voluptatē, de fletu ad ſolatium, de carcere in libertatem, de regno terreno ad cœleſte, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de exilio ad patriam, denique de mundo ad patrem, vt in vita S. Bernardi dicitur, exuuijs in ſpe lætæ reſurrectionis παγκόσμου, in dormitorio ſuo, vſque ad glorioſum aduentum Saluatoris ſuauiter quieſcentibus, quem portum quietis vſque adeo tibi non inuidemus, vt Deo etiam pro clementiſſimo illius conceſſu, ex animo gratias agamus, totoq́; pectore, vt quā primum συνοικέιοις καὶ συμπολίταις in cœlis tibi nobis eſſe liceat, optemus.

Ad nos quod ſpectat, reprimamus doloris impetum cogitatione, cùm clementiſſimæ voluntatis diuinæ, qua hinc euocata eſt, & propoſitæ nobis ſpei indubitatæ, dulciſſimæ cum ea coniunctionis in altera vita nobis reſtituendæ, tum firmiſſimæ promiſſionis, de paterna & clemētiſsima protectione diuina regnorum & Rerumpub. tranquillum Eccleſiæ hoſpitium præbentiū: Poſui verba mea in ore tuo, vmbra man⁹ meæ te protecturus, vt plātes mihi cœlos.

Præte-

Præterea ſubeat animos cogitatio de nouiſſimo paraſtata illuſtriſſimi Electoris vidui, filio Chriſtiano, principe generoſiſſimo, Domino noſtro clementiſſimo, cuius pietas in Deum, clementiſſima voluntas erga Eccleſiam, amor in patriam, denique omnium virtutum & laudum paternarum, auitarumq; pia & liberalis æmulatio, vnâ cum laudatiſſimis gubernationis illuſtriſs. initijs prolixè & pro certo nobis pollicetur, ac confirmat, iacturam fidelis & ſalutaris operæ in fouenda & ornanda religione, patria & Eccleſia, quam deceſſione matris ſereniſſimæ fecimus, Deo propitio, illuſtrem celſitudinem illius abundè compenſaturam. Denique aſſidua inuocatione, veraque ad Dominum conuerſione maiorem ruinam inclitæ domus Saxonicæ, & ruinoſi ædificij Eccеſiæ & patriæ auertere ſtudeamus. Sed non licet mihi ſine veſtri offenſione dicendo nunc progredi longius.

Precatio. Quod ſupereſt, coniunctis ardentibus intimorum pectorum gemitibus & votis oramus te, ô Immanuel, Domine Ieſu Chriſte, ſerua quæſumus propitius apud nos doctrinæ puritatem, eamque propaga ad poſteros, hoſtibus illius ſanabilibus conuerſis, inſanabilibus verò repreſſis & confuſis, auerte ab humeris noſtris, imò ab vniuerſo imperio, & in autores conuerte, machinationes & molitiones virulentas, organorum Satanæ tam manifeſtæ violentiæ, quàm impiorum & ſanguinariorum conſiliorum ad peſtem perniciemq; præſentiſſimam Eccеſiæ, patriæ, & totius Germaniæ directas.

Erige

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Erige ac ſuſtenta firma ac efficaci conſolatione mœſtiſſimum viduum, Illuſtriſsimum Electorem, Patrem patriæ, & Dominum noſtrum clementiſsimum, vt caſum grauiſsimum magno animo ſuſtinere & ſufferre queat, ſana ſaucium illius pectus efficaciſſimo ſaluberrimoque balſamo tuo, ô medice & Samaritane fideliſsime, clementer quoque mitiga illi ſubeuntium morborum triſtisque ſenectæ, quæ ipſa ſola & præcipuus morbus eſt, difficultates & moleſtias multiplices, & duræ mortis inclementiam diu ab ipſo propulſa.

Flagitat hoc nobiſcum gloria nominis tui, ſalus Eccleſiæ, incolumitas patriæ, libertas inclitæ Germaniæ, denique ſtabilitas Sacri Romani Imperij vniuerſi.

Propitius etiam aſpira aura clementiſſimi fauoris tui, coniunctæ parenti operæ laudatiſsimæ gubernationis illuſtriſsimi principis Chriſtiani, Domini noſtri clementiſſimi, vt & illuſtrandæ gloriæ nominis tui, incremento Eccleſiæ, & academiarum ac reipub. ſaluti vtiliter inſeruiat. Saluos & florentes præſta cum filio generoſiſsimo, eiusque illuſtriſsima coniuge, Domina noſtra clementiſsima, generos illuſtres, & eorum inclitas coniuges, vnà cum inclita filia virgine, & generoſis filiolis Chriſtiani, in diuturna harum regionum proſperitate & pace, atque tranquillitate conſtante. Serua etiam & tuere tam communitatem hanc Eccleſiaſticam, quàm illius hoſpitium, piam & honeſtam congregationem ciuilem huius oppidi, & vtriuſque φυτευτήρια, pias & honeſtas œconomias, auerſis clementer ab his graſſantis luis peſtiferæ contagijs, cæterarumque calamitatum

 & ærum-

& ærumnarum publicarum priuatarumque oneribus alleuatis: Denique foue & complectere alis ſalutiferis bonitatis tuæ hos nidulos & alueolos noſtros, nosque Spiritu tuo ſancto guberna, vt tibi grata, nobis & alijs dicamus & faciamus ſalutaria. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas, Deus vnus & trinus, & nunc & in diem æternitatis celebrandus,

AMEN.

VERSVS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Verſus Epicedij
IN OBITVM
SERENISSIMAE DOMINÆ, DOMINÆ ANNÆ, ILLVſtriſs. & clementiſsimi noſtri Principis & Electoris &c. AVGVSTI Coniugis.

SI luctus vnquàm, mæſti ſi cauſa doloris
His antehac terris ſors malefida fuit:
Nunc faciem nimis heu nobis oſtentat acerbã,
Et lacrimis lacrimas continuare facit,
Regia progenies, ducis occidit inclita coniunx
AVGVSTI, *noſtri ſplendor honoſq́ſ ſoli.*
Occidit heu, nec vana fides, & preſſa recentis
Funeris aſpectu DRESDA *dolore ſtupet.*
Quid Dreſdam dico, regio quæ ſubdita cunq́ſ
AVGVSTO, *miſeri ſigna doloris habet.*
Hoc erat hoc, toties æſtate quod horridus aër
Arcebat radios ignee Phœbe tuos.
Hoc portendebant vndantia flumina paſsim,
Et toties imis ſtagna refuſa vadis.
Heu incerta nimis mortalis tempora vitæ,
Quam variæ verſant omnia noſtra vices.
Dum ſpes præclaras & gaudia ſæpe fouemus,
Non expectato ſors pede triſtis adeſt.
Sors, interuentu perturbans cuncta maligno,
Atq́ſ ferens quouis deteriora die.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Quæ non lætitiæ præſentia ſigna dabantur,
Quam noſtris inerat lætus in ore rubor?
Hanc tener in lucem princeps felicibus aſtris,
Cum ſeptem menſes editus ante fuit.
Quam iucundus erat tota conſpectus in vrbe,
(Iam vix bis ſeptem præteriêre dies)
Hâc hilari traducta fuit cum nupta triumpho
Aurea, principibus concomitata tribus.
Quis putet? hæc ſubitus vertens lætiſsima caſus
Diſturbat cunctis gaudia nata locis.
Non ſecus ac cælo cum ſplenduit aura ſereno,
Tempeſtas nitidum contegit atra polum.
Triſtia cuncta quidem mortalia pectora pungunt,
Succeſſum angores multiplicantq; graues:
Illê tamen tacitè mentes dolor acrius vrit,
Quem non præuiſum ſors inopina tulit.
Et quis tam ferus eſt, quem non mæſtiſsima noſtræ
Hæc Heroinæ funera commoueant?
Connubio vixit magno dum iuncta marito,
Regnauitq; tori fœdere ſuauis amor,
Cum natis genuit cariſsima pignora natos,
In quibus Heroæ lucet imago domus.
E quibus in curas ſuccedere cœpit auitas,
CHRISTIANVS, patriæ firma columna ſuæ.
Sunt natæ reliquæ quamuis ad ſumma ſorores,
Quas magni caſtas expetiêre duces.
Connubio hoc ſaluis pax floruit aurea rebus,
Pax qua nil mundo gratius eſſe poteſt.
Quid reliquas memorem virtutes ordine longo:
Corde ſibi hoc pietas legerat ipſa locum.
Seu ſol Eoo radians emergeret orbe,
Heſperium peteret ſeu mare feſſus equis:

Diuinis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Diuinis intenta libris, animoſaq́ verbo
Cœleſti, aſſiduas fudit ab ore preces.
Quin ſæpe ingentis fidei certiſſimus index,
Audita hæc ardens vox pietate fuit:
Oro, ſacerdotes, defendite dogmata CHRISTI,
Sit vobis curæ relligionis honor.
A ſancto CHRISTI *ne quæſo recedite verbo,*
Vnica conſilijs norma ſit iſta pijs.
Munificis opibus nullos non iuuit egenos,
Præbendo facili munera larga manu.
Deſide cum luxu mores exoſa ſuperbos,
Vitam inculpatam degere viſa fuit.
Prælucensq́ alijs virtutum dotibus amplis,
Exemplum, cuncti quod ſequerentur, erat.
Qui non hanc igitur leto deplorat ademtam,
Durius ab rigido cor adamante gerit.
At vero, in primis morſu nos ſauciat acri,
O AVGVSTE *tuus Dux generoſe dolor.*
Atq́ tuum quoties mens cogitat anxia luctum:
Ex oculis noſtris gutta profuſa fluit.
Heu deſiderium moriens quale ANNA *relinquit,*
O nimis hoc ſolo mors vel iniqua modo.
Sed contra mæſtum recreent ſolatia pectus,
Diuini è verbi fontibus hauſta ſacris.
Cui ſoli fiſa eſt, animam cui credidit vni,
In CHRISTI *viuit membra ſoluta ſinu.*
Iamq́ videt præſens caram, ſua pignora, prolem,
Quæ cœlo vita functa recepta fuit.
Reddeturq́ ſuo AVGVSTO *rediuiua, ſupremus*
Ingentis mundi tunc vbi finis erit.
Nos quod amor pietasq́ iubet modo fungimur, atq́
Defunctæ mæſtas ſoluimus exequias.

Ctea-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Cætera CHRISTE *tibi volumus committere, ſolus*
Anchora tu, ſolus portus & aura tuis.
AVGVSTO *vires ſolamine ſuffice viuo,*
CHRISTIANVM *& ſerua quæſo potente manu.*
Et certò facies: animo tibi fidimus alto,
Fidentes nunquam deſeruiſſe potes.

M. Iohan. Albinus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 272 [35,-169 4°]